Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALI[S]

DE

# INQVISITION[E]

CONTRA

# SVRDVM ET MVTVM

# NATVRA,

QVAM

*SVB PRAESIDIO*

DOMINI

SIMONIS PETRI GASSERI, [...]

POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSIL. INT[...]

ITEM BELLIC. ET DOMANIAL. IVRIVM ET RERVM O[...]

NOMICO-CAMERALIVM PROFESSORIS ORDINARII, SCA[...]

NATVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO ADSESSORIS, [...]

FACVLTAT. IVRID. H. T. DECANI,

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORI[BVS]

RITE CAPESSENDIS,

D. XXI. MAII CIϽ IϽ CC XXIX.

*H. L. Q. C.*

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

CHRISTIANVS THIER,

RIGIOMONT. BORVS.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE*

Typis IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, Academ. & Senat. Ty[...]

MDCCXXXVII.

§. I.

QVot paraſangis diſtet proceſſus noſter inquiſitorius ab accuſatorio quondam vſitato facile inter omnes conſtat, præferendum tamen & longe pleniorem eſſe noſtrum inquiſitorium nemo facile negabit, qui principia theoriæ & praxeos rite ſibi iungit, vt veram & genuinam analogiam formare poſſit, quot enim verſutiæ, tergiuerſationes, præuaricationes & alia fœdiſſima molimina proceſſum accuſatorium ambierint, ipſæ pœnæ deſuper ſtatutæ, in- & ſubſcriptiones & alia repagula ſatis commonſtrant, vbi e contrario ſi generalis inquiſitio rite inſtruatur, nec accuſatores deinde teſtes inſtruere valent, nec iudex, quippe qui acta non format ex ſua ſcientia, ſed teſtium aſſertis, ita vt veritas facti tam evidenter ex indiciis præſumi poſſit, vt ſine vllo periculo vel diſcrimine veritatis ad huius eruendæ media deueniri pro gradibus indiciorum queat, accedit, quod rei vel inquiſiti actorum & teſtium ignari communiter menda-

Differt[...] ſus acc[...] us & in[...] rius, h[...] men pl[...] & præf[...] dus eſſ[...]

ciis ſuis, fictis circumſtantiis, quamuis aſtuta ratione excogitatis, mediante ſummaria ſua depoſitione ſe ipſos admodum prodant, ita vt deinceps ex teſtium depoſitionibus quæſiti, obſtupeſcant, vnde illa notitia ad iudicem peruenerit, quo facto ad variationes & torquendas priores circumſtantias non poſſunt non procedere, & quoniam ipſe iudex non pronunciat ſed ab extraneis ſententiam petit, haud meliori ratione ad viam veritatis in criminalibus deueniendum putamus, at vero in proceſſu quondam accuſatorio vix difficile erat garrulis oratoribus præſertim Ciceronibus & aliis hominibus popularibus reos liberare a pœnis legum ſeuerioribus, cum omnia in dubium vocare ſufficeret, prout ex ipſis *Ciceronis orationibus* pateſcit.

Negatur, quod inquiſitiones iure ciuili plane incognitæ.

§. II. Neque vero audemus originem proceſſus inquiſitorii cum oſoribus eius ex ſolo iure canonico & traditis cleri pontificii deriuare, *conf. B. Dn. Thomaſii diſſertat. de origine proceſſus inquiſitorii* §. 2. vbi tradit *quod clerus id intenderit, vt ſub ſpecie iuſtitiæ imperium in laicos variis artibus diu quæſitum confirmaretur.* Sane & ipſo iure naturæ in bene conſtituta republica iudici incumbit, inquirere in delicta & crimina, eaque eliminare, & hoc in tantum verum eſſe putamus, vt in cauſis quoque ciuilibus laxiorem credamus iudicis auctoritatem pro obtinenda & tribuenda ſuppreſſis iuſtitia, quamuis ob difficultatem proceſſuum iudicium euitare cogantur; Romanorum vero hæc erat conditio & inſtituti ratio, vt exactis regibus & conſecratis furioſis Tarquiniis in ſtatu populari & turbido iudices ſuos quomodocunque compeſcerent, ne ſecundum effatum Ciceronis audiretur amplius horride

Tarqui-

Tarquiniorum formula: *Lictor colliga manus, caput obnubito, verberato, intra vel extra pomerium infelici reſte ſuſpendito,* qua ex re actiones pœnales introducebantur & ita capi poteſt, quid ſibi velit titulus iuris *de obligationibus ex delicto,* quoad atrociora crimina vero præſto erant iudicia publica, in quibus & pontifices concurrebant ad conſecrandos reos criminum, vt fierent ſerui pœnæ cumque opibus ſuis Diis conſecrarentur & bona eorum ærario cederent, quæ ſacra iura deinceps in fiſcum principis æque ſacrum transferebantur, ſed quoad procedendi rationem Imperatorum tempeſtate, quod communiter negligitur, pedetentim longe alia via quærebatur, cadebat prætorum auctoritas in ciuilibus, excreſcente officio ordinario iudicum tam in ciuilibus, quam criminalibus, & licet accuſationes retinerentur, valde tamen ſucceſſu temporis mixtus erat proceſſus, neque officium iudicum præprimis quorundam excluſum vel adeo reſtrictum erat, prout ex *l. 3. Cod. vt intra certum tempus crim. quæſt. terminetur it. t. t. Cod. ne ſine iuſſu principis certis iudicibus liceat confiſcare.* & variis textibus iuris conſtat, neque ipſa vox inquiſitionis legibus incognita vid. *l. 13. §. iudex ff. ad Leg. Iul. de adult.* quod vlterius deducere, ſi inſtituti ratio id permitteret, haud foret difficile.

§. III. Suppoſita igitur legalitate proceſſus inquiſitorii & prælatione præ accuſatorio, illud fundamenti loco manet, quod iudex in omnes circumſtantias tam inculpationis, quam innocentiæ ex officio exactiſſime inquirere debeat, iniuſtiſſimus enim foret, ſi indicia contra reum militantia ſolummodo actis inſerere vellet poſthabitis momentis defenſionis & innocentiæ, vnde ſtatus mentis & ætatis probe inueſtigandus

De in[...] one c[...] ſurdu[...] mutu[...]

 gandus

gandus quia infantes innocentia conſilii, mente captos vero fati infelicitas excuſat *l. 12. ff. ad L. Cornel. d ſicariis*, quoniam vero mutus & ſurdus natura communiter mente captis æquiparatur, nec facile creditur, illum qui ita natus eſt mentis compotem eſſ poſſe, alii vero caſus in contrarium adducunt, & pœnam plane capitalem quandoque applicandam eſſe ſtatuunt, alii inter vitium illud naturale & ſuperuenien diſtinguunt, nos quidem phyſicis credimus, & malum iſtud, quamuis in tenerrima ætate id contingere potuerit, toties pro ſuperueniente, non naturali, reputamus, quoties ſufficienter apparet, hominem eſſ ſanæ mentis, ſed ad ipſam inquiſitionem vel reſponſionem ad articulos imo vero ſummariam ſeu recenſionem facti generalem parum iuuabit omnis ſubtilitas & diſcretio intuitu illius, qui quoad vixit non niſi ſurdus & mutus ab hominibus cognitus eſt, & quoniam nuperrime in facultate iuridica Hallenſi caſu obtigit, vbi ob enormes & ſolidas circumſtantias acriter diſceptatum fuit, annon certus quidam ſurdu & mutus natura, vel minimum ab infantia talis, nec aliter a parentibus & proximis cognitus, ob latrocinium eiusque confeſſionem per ſigna, quamuis non conuictus, pœna capitali plectendus fuerit, eademque diſceptatio in ſummo collegio criminali Berolinenſi repetita, operæ pretium duximus pro themate inaugurali ſingularem hanc materiam paulo altius repetere.

Caſus valde ſingularis.

§. IV. Præprimis vero caſum hunc valde enormem recitaſſe iuuabit, reperiebatur nimirum in præfectura Sandouia Ducatus Magdeburgici cadauer femininum omni veſtitu denudatum, abſciſſo capite al-

teroque

teroque brachio, exſciſſis & ſeparatis inteſtinis aliisque vulneribus miſerrimum, indicia aderant non levia ſurdum illum & mutum, de quo §. præcedenti dictum, hoc delictum perpetraſſe, inſtituta enim inquiſitione apparebat, illum iſta die in eodem itinere eademque via, deinceps vero in popina fuiſſe, nec ibi commorari voluiſſe, ſed valde feſtinantem equum deſideraſſe, monitum tamen ob veſperam manſiſſe, & tres cultros, vnumque ex illis ſanguine rubentem cum corallis de ſuccino habuiſſe, quæ ad occiſam pertinebant, vno verbo concurrebant tot indicia, vt ad capturam deueniretur, quam animaduertens auffugere adeo cupiebat præter morem vt vix eques eum perſequi potuerit, latebris circa Albim flumen quæſitis, tandem deprehenſus & captus iudicio tradebatur, caligæque eius cum induſio ſanguine repletæ deprehendebantur, quem tamen ſtudioſe & cum ſolertia obmaculauerat luto; adhibebantur in examine ipſius duo interpretes iurati, quorum alter ſenator Sandouienſis ſimilem fratrem identidem ſurdum & mutum habebat, vterque vero circa edita a reo ſigna conueniebat, commonſtrabatque reum conſtanter negare & proditis ſignis indigitare, quod homo quidam ingentis magnitudinis, barbatus, & ceruleo habitu veſtitus delictum perpetrauerit, iter ſuum enim in eadem via eodemque die negare non poterat, imo in ipſam viam ductus locum deprehenſi cadaueris arboremque, vbi caput abſciſſum inuentum erat, exacte cognoſcebat, monſtrato deinceps cadauere ſuſpiria edebat deuotiſſima flexis manibus genibusque cœlum intuens, nihilominus tamen in perfracta inficiatione perſeuerabat, ſanguinem in caligis & induſio deprehenſum mox

naſo tribuens, mox piſci a ſe exſciſſo, addendo, quod pecuniam apud ſe inuentam ab occiſore illo cum cœruleo habitu acceperit, mox vero, quod a mercatore quodam.

Alia admodum notabilis, quoad depoſitionem ſummariam.

§. V. Alia ſingularis circumſtantia non eſt prætermittenda, quod reus monſtrato cadauere iuſſus eſſet tacto illo, pro more quamuis ſuperſtitioſo, innocentiam ſuam demonſtrare, quis crederet reum hunc iuſſum vel ritum percepiſſe, ſed de hoc ſtatim pateſcebat, reus enim caput ſuum pileo denubebat, pileumque ſub brachio tenens & flexis genibus cœlum intuens cadauer manibus ſuis decuſſatim admotis tangebat innocentiaque ſic ſatis demonſtrata liberationem ſuam petebat, ſed cuſtodiæ iterum traditus, tandem vni ex cuſtodibus menten ſuam declarat factumque fatetur, ſed cum comminatione ne hoc prodat, interpretum altero ad illum miſſo nihilominus negabat, cum vero commentarienſis indigitaret reum fateri velle, in iudicium deductus ab initio quidem inficiatus, demum vero cum interpretibus ſolus relictus omnia faſſus eſt cum ſuis circumſtantiis, nimirum defunctam & occiſam ipſi in itinere obuiam veniſſe, quam blandis geſtibus ad venereos actus excitauerat, baculo vero ſe defendentem in terram præcipitem fecerat, quo facto oſtenſis tribus cultris, ſanguine rubicundum, ſemotis reliquis duobus, elegit oſtenditque quo ordine & modo caput defunctæ brachiumque amputauerit, reliquaque vulnera vniuerſa & immenſa applicauerit, plorando & veniam excuſationemue petendo, ſed & pluribus vicibus iterau confeſſionem, quæ prudenter in iudicio vrgebatu cumque vltima vice in ſummaria depoſitione mon

retur

retur, ne vllam circumſtantiam omitteret, non tantum inter lacrimas omnia nec vlla variata circumſtantia repetiit, ſed & tibialia defunctæ exhibitis in iudicio omnibus veſtimentis proprio auſu apprehendit, inuolutisque calceis monſtrauit, quomodo occiſa tibialia iſta cum calceis, obuiam ipſi facta ſub brachio portauerit, oſtendendo ſimul clariſſimis ſignis, quomodo ipſe reus amplexibus venereis alienas nuptias ſollicitare voluerit, ſed verberatus ad iram fuerit commotus, addidit quoque, quod abſciſſum caput in alium locum ſemouerit & quod maximum ſumta tunica rubra monſtrauit, quod ex illa corallia de ſuccino, ex nigra vero pecuniam abſtulerit, de cuius ſumma hæc edidit ſigna, nimirum ex quantitate certa pecuniæ decem nummos (Sechs-Pfennigſtücke) ſibi ſumſit, quia vt nuncius ſibi acquiſiuerat, & hoc currendo & recurrendo per hypocauſtum commonſtrauit, notandum vero quod nuncius ſæpe factus tenorem mandati exacte ſemper fuerit exſecutus, de reliqua pecunia thalerum, quatuordecim groſſos & nouem nummos ſemouit, tanquam ſummam ad occiſam pertinentem, oſtenditque marſupium tunicæ nigræ ex qua abſtulerit.

§. VI. Hisce generatim & rite præmiſſis ſubſecuta eſt reſponſio ad articulos inquiſitionales, in qua cuncta præcedentia non variatis circumſtantiis repetiit, datus eſt defenſor, qui, quod iudicatu facile, omnia in dubium vocauit, ob confeſſionem non ex ore proprio, ſed interpretum & ex ſignis deſumtam, ceſſante omni alia probatione, quoniam delictum ipſum factumque nec hominum vllus vidit, qua ex re quoque ſententia lata eſt a facultate iuridica Hallenſi de applicanda pœna extraordinaria, neutiquam capitali, Reſpon- ti & ſi- articul-

pitali, cuius tenor ſequetur deinceps, ſed placuit ſu
mo collegio Berolinenſi criminali, in quo æque non c
fuerunt diſſentientes & ad pœnam ordinariam prov
cantes ſicuti in ipſa facultate iuridica, loco confirm
tionis ſententiam ferre interlocutoriam, vt momen
quædam exactius examinarentur, at vero ſicut ex a
tecedentibus facile præuideri potuit, vix circumſta
tiæ aggrauantes exſpectandæ erant, interim tamen al
ſatis curioſæ eruebantur, verbi gratia, quod reus
cundo ætatis anno herbam quandam, vulgo Sch
lings-Wurtzel, cum puella quadam commederit, q
facto vterque ad rabiem quaſi deductus, correcta
men puella, reus vitium ſurditatis retinuerit, de q
cauſa morbi & vitii non dubitantes, naturam radic
poſtea examinabimus, aliud momentum ſatis curi
ſum ſuccedebat, quod reus ad muſices tonum & me
ſuram commode ſaltauerit in popina, animumq
aduerterit ſi fidicines muſicam finxiſſent ſine ton
accedebat, quod reus quatuor annis ante hoc ſcel
alii puellæ caput amputare voluerit, & quod medi
ſtatuerent reum quidem ſanæ mentis eſſe, non tam
ſine mania interuallata delictum committi potuiſ
qua ex re confirmarunt illuſtres criminaliſtæ Bero
nenſes ſententiam facultatis iuridicæ Hallenſis ad
to tamen rigore, vt reus quoque fuſtigaretur.

Examinatur inquiſitio contra ſurdos & mutos per omnes eius partes.

§. VII. Quamuis itaque hunc ſingularem
tis caſum ampliſſime recitauerimus, eum in finem,
totus fere procedendi modus ex eo deſumi & obſeru
ri poſſit, cum non credamus præfecturam Sandouie
ſem aliquid omiſiſſe vel neglexiſſe, quod ad inquiſiti
nem aduerſus ſurdum & mutum pertinere poſſit,
laudabilem potius eſſe diligentiam & exactitudine

exp

expediet tamen, vt per partes eamus & de hoc genere proceſſus inquiſitorii mentem noſtram vlterius explicemus næuosque aliorum & diſſenſus leuiter notemus; ſunt enim qui in exceſſu, ſunt qui in defectu peccant, illi omnia ſigna ſurdorum & mutorum pro infallibilibus venditant, hi omnem fere inquiſitionem excludunt, alii ridiculas picturas homicidii vel alterius delicti ſurdis & mutis ad edenda ſigna exhibent, alii clariſſima quoque indicia in dubium vocant, qua de re vt vlterius innoteſcat, primariæ proceſſus inquiſitorii partes examinandæ venient.

De inq ne gen contra & mut

§. VIII. Et primo quidem inquiſitio generalis ſi vnquam neceſſaria & caute inſtituenda, ſane in hoc genere proceſſus quam maximam præbet vtilitatem, ſi enim non omnia ſatis instructa, vix ad ſpecialiorem inquiſitionem hoc caſu procedi poterit, duo vero ad inquiſitionem generalem præcipue requiruntur, primo vt de corpore delicti eiusque qualitate ſufficienter conſtet, ſecundo vt generatim quoque examinetur, quis delictum illud commiſerit; ad primum quod attinet, in noſtro caſu ſuperius ſuppeditato non quidem fuiſſet opus, truncato capite & exciſſis inteſtinis de lethalitate vulneris diſquirere, quod tamen præter neceſſitatem factum, addita ratione grauiſſimæ læſionis arteriarum, medicus enim non indiſtincte adhibetur, vt de ſola qualitate vulneris iudicet, ſed pro more ſemper adhibendus, ne ſoli iudici de ſtatu cadaueris & ipſius corporis delicti fides habeatur, ſi vero caſus lethalitatis ſit anceps & dubius, tunc quam maxime neceſſaria eſt exactiſſima vulneris indagatio, & inueſtigatio, quia hic proceſſus de quo agimus per ſe ſatis difficilis eſt, nec veritas facti tam

certo haberi poteſt, quantum vero ad quæſtionem
quis delictum commiſerit, negamus ex teſtibus qua
rendum eſſe, an non hic ſurdus & mutus? nam ha
quæſtio in omni inquiſitione generali cane peius a
angue vitanda, partim, quia teſtes per ſe nimiu
procliues ſunt, ne forte a iudice diſſentiant, ita
ipſi ſæpe eatenus quaſi per inficiationem periculu
incurrere putent, partim quia in proceſſu inquiſito
rio non tam iudex quam teſtes acta inſtruunt, illequ
ſine his nihil ſcire debet, vnde *Strykius* & alii com
mendant, vt iudex, qui ipſe facinus vidit, alii inqu
ſitionem mandet & teſtem ſe gerat.

Singularia in illa.

§. IX. Denunciantes ſicuti nunquam repellen
di, ita vix differentiam inter homines integræ fide
bonæque exiſtimationis & alios fundatam eſſe puta
mus, ſed diſtinguimus potius inter denunciantes cum
& ſine indiciis, denuncians ſine vllo indicio vt plu
rimum calumniator eſt, ſi vero indicia ſuppeditet, a
hæc, non ad denunciantis perſonam reſpiciendum
niſi quoad homines viliores ad capturam ſtatim o
periculum fugæ deueniendum, proinde moment
defenſionis æque inueſtiganda ac indiciorum, quo
in caſu noſtro eo magis neceſſarium, quo minus de
fenſor iſta argumenta a reo reſciſcere valet, præpr
mis vero in hac generaliori inquiſitione contr
ſurdos & mutos de veritate facti ferme conſtare de
bet, antequam examinetur, ſane ſi teſtes ipſum factum
viderunt, conuictus eſt reus, & parum iuuabit reſpon
ſio per ſigna, atque de hoc caſu loquuntur Carpzo
vius & alii quando pœnam capitalem in hunc miſerri
mum ſtatuunt, de qua pœna deinceps, at vero quan
uis teſtes in ipſo actu præſentes non fuerint, ſicut

com

communiter, tunc indicia cum maxima circumſpectione quoad omnes & ſingulas ſpecialiores circumſtantias inueſtiganda, & quidem remota illa indicia, quibus mediantibus alias ad iuramentum purgatorium vel territionem proceditur, hic parum aut nihil conducent, ſed indicia proxima requiruntur, veluti in caſu præmiſſo de inuentis apud reum ipſis rebus defunctæ, reperto ſanguine in veſtibus rei, & ſimilia, quæ iterum recenſere ſuperfluum, quoniam quæ in aliis delictis ad indicia proxima recenſenda ſint, ex *Cruſio de indiciis*, *Carpzouio* aliisque ſatis conſtant.

§. X. Progredimur ad inquiſitionem ſpecialem, in qua requiritur ſummaria depoſitio inquiſiti ſeu facti narratio, quæ quoad ſurdos & mutos impoſſibilis videtur, quia ſine quæſtionibus & ſignis præcedentibus ſua ſigna edere nequeunt, at vero maxima differentia eſt inter quæſtiones ipſas an ſpecialiores ſint & ita compoſitæ, vt reſponſio affirmando vel negando tantum ſequi debuerit, an vero generalis, ita vt nihil ſuppeditatum ad reſponſionem, niſi vt reus ipſe mentem ſuam de facti qualitate explicet, ſicuti in caſu ſuperius propoſito egregium effectum deprehendimus, eo quod reus hominem magnæ ſtaturæ admodum barbatum & ceruleo habitu veſtitum delictum perpetraſſe finxerit, ſed & alia ratione ſubleuanda eſt infirmitas ſurdorum & mutorum, ſcilicet, vt obiectum aliquod ſpecialius proponatur, quo mediante animi ſenſa explicant, huc pertinet in noſtro caſu præſentatio cultrorum, vt eligeretur ille cum quo facinus commiſſum, item veſtium occiſæ, pecuniæ, coraliorum, & ſimilium, quibus præcedentibus reſponſio ad articulos facilior, dummodo obſeruetur,

De inq one ſp

an ſigna ſemper maneant eadem, an varientur circum-
ſtantiæ, an ex editis ſignis ſemper eadem mens & in-
tentio rei pateſcat, an non eadem ſigna in contrarii
argumentis quandoque retineantur.

De interpretibus & teſtibus.

§. XI. Ardua vero quæſtio eſt, quinam interpre-
tes præ reliquis ad hoc examen adhibendi & reſpon-
detur breuiter, non niſi peritos admittendos, quibu
geſtus & explicationes reorum per ſigna ſufficienter
ex diuturna conſuetudine ac conuerſatione iam co-
gnita, eosque iuratos nec ſuſpectos, vnde non pro-
bamus iſtos, qui apud *Keyſerum in prax. criminali pa*
*913.* tanquam valde ſuſpecti admiſſi ſunt, neque vlla ra-
tione defendi poſſet ſententia in caſu Keyſeriano lat
niſi reſpexiſſent ſententionantes magis ad conuictu
reum, quam confeſſum, quamuis nihilominus inger
tia dubia remaneant & ex ipſis contrariis ſententi
grauiora fiant, ad teſtes vero, quod attinet, non cre-
dimus alios, niſi habiles & claſſicos, ac, vti in crimi-
nalibus requiritur, viginti annorum per *l. 20. ff. d. te*
*ſtib.* admittendos eſſe, quamuis enim alias ad grauan
dos reos etiam minores viginti annis pro admiſſibil
bus habeantur, attamen intuitu ſurdorum & muto
rum ſolummodo de conuincendis, raro de grauand
reis quæſtio eſt, quia nec tortura dictari poteſt, ne
iuramentum purgatorium, an vero rotulus examin
teſtium præciſe formandus ſit, nos, niſi lex ſtatutar
in contrarium adſit, generatim negamus, tam in h
quam aliis inquiſitionibus, enim vero ſapiunt hi ro
tuli proceſſum accuſatorium, & quoniam quod b
na vice iam monitum teſtes in inquiſitorio proceſſ
ipſa acta inſtruunt, ad quid iteratum examen, niſi v
defenſores habeant, quod vexent, in minima varia-

tion

tione, rarius enim defenſores quoad interrogatoria ipſis teſtibus confidunt, qui grauarunt reum, ſi vero id quandoque accidat, ad articulos defenſionales illos examinandos curare, nunquam prohibentur.

§. XII. De confrontatione eiusque exiguo vſu in hac materia pauca addenda ſunt, regulariter tria ſunt confrontationum genera, *primum* ſi complices inter ſe, *ſecundum* ſi teſtes inter ſe, & *tertium* quando teſtes cum reo confrontantur & in faciem quod aiunt deponunt, cumque eodem de perpetrato facto eiusque circumſtantiis quaſi expoſtulant, poſſet hoc loco addi *quartum* genus, vbi confrontatio rei cum interpretibus, & *quintum* vbi interpretum inter ſe deſideratur, *primum* inutile foret, niſi alter reorum ſolus eſſet ſurdus & mutus, ſed tunc intuitu huius interpretes requiruntur, *ſecundum* manet, vti alias, *tertium*, quod alibi maximam vtilitatem præſtat, ita vt peruicaciſſimi communiter hac ratione conuicti ſint, hoc noſtro caſu tamen inutile foret, niſi ſola præſentatio teſtium obrueret mentem rei, nam ſine interpretibus fieri non poſſet, & ita pertineret ad genus *quartum*, ſed nec hoc admodum vtile, quia iudex, ſi ſigna a reo edita æque non capiat, interpretes pure ſequi tenetur, & ita acta eatenus & vlterius inſtruere non poſſet, hoc tamen miramur, quod iudex de iſtis geſtibus & ſignis quandoque longe petitis, nunquam aliquod dubium ad acta ſignificet, potiſſimum ſi interpretes inter ſe non ſtatim conueniant, vnde *quintum* genus confrontationis, nempe interpretum inter ſe quam maxime neceſſarium credimus, cum impoſſibile videatur, omnes interpretes eosdem geſtus & ſigna æque ſimul & ſine hæſitatione percipere poſſe, De co[nfronta]tione.

 ſicuti

ſicuti deinceps dubia quædam de ipſis ſignis nob
obuenientia communicabimus, ſed iudices rari
momenta defenſionis ex officio ſupplere ſolent,quo
tamen in hac cauſſa ardua præprimis requireretur.

De tortura.

§. XIII. Progredimur ad torturam, vtend
vt ob penuriam temporis breuitati ſtudeamus, verb
*B. Strykii de iure ſenſuum diſſertat.4. cap.5. n.26.* vbi it
*Concludunt Doctores communiter, ſurdum & mutum natu*
*talem torqueri non debere. Zanger de quæſtionibus & tortu*
*c.1. n.44. B. Brunnem. proceſſ. inquiſitor. c.8. membr. 5.*
*33. Carpzov. praxi crim. part.3. quæſt. 118. n.21. Farinace*
*quæſt. 41. num. 89. Bocer. de tortura c.4. n.160. & ab*
*citati. Ratio in propatulo eſt, qui enim confiteri crimen n*
*quit, ille nec torqueri poterit. Tortura enim vt confeſ*
*eliceatur, adhibetur l.1. §.1. ff. de quæſtionibus, at, qui ſurd*
*& mutus natura talis, ETIAMSI ſignis animi ſenſa d*
*clarare poſſit, confiteri crimen nequit, EA SCILICE*
*CONFESSIONE, QVÆ IN DELICTIS SIV*
*CRIMINALIBVS CAVSIS SVFFICIENS ES*
*Vti antea deductum.* Addimus, quod tortura quoq
intuitu eorum adhibenda ſit, qui quodammodo ia
confeſſi ſint, deſiderata tamen genuina & euidentiſſin
confeſſione, vno verbo, tali, quæ ad infligendam p
nam ordinariam capitalemue loco probationis lu
meridiana clarioris communiter requiritur, quod m
mentum optime ſuppleuit *B. Strykius*, at vero ſurd
& mutus, non poteſt niſi quodammodo confiteri,
per indicia ſeu præſumptiones; quæ tamen ad pœna
ordinariam omnibus fatentibus, nunquam ſufficiu
quamuis ob ſemiplenam probationem pœnæ ext
ordinariæ locus ſit. *Carpz. prax. crim. p.3. qu.114. n.*

*&*

& 53. & ideo quoque ob vrgentes præſumtiones per ſigna.

§. XIV. Quicquid tamen huius ſit non omnem omnimodo torturam in hac materia exulare debere firmiter ſumus perſuaſi, fingamus enim in caſu §. 4. & ſeq. ſuppeditato ſurdum noſtrum & mutum loco confeſſionis per ſigna omnia perpetuo negaſſe, ſine dubio ad torturam ob circumſtantias ſatis expoſitas deveniendum fuiſſet & eo quoque collimare videtur ipſe *B. Strykius cit. l. n. 29.* vbi ita: *quod ſi autem delictum ſimplex foret, tale tamen, quod vltore gladio vindicandum, ET NIHIL AMPLIVS NISI CONFESSIO DESIT, putarem torturæ eum ſubiici poſſe, cum iam antea ſatis ipſi conſtet, quare tormentis ſubiiciatur, VT HINC INTERROGATIONI SPECIALI OPVS NON SIT*, quæ verba quidem ſatis dubia & hæſitantiæ ſimilia, atque interpretes in tortura adhibendos ad interrogationem ſpecialem exiſtimamus, ſed gravior quæſtio occurrit, quisnam gradus torturæ adhibendus ſit & an ad medium gradum vsque deueniri poſſit, reſpondemus negando poſterius, quia pœna ordinaria capitalis ceſſat, ſicuti demonſtrabitur in ſequentibus, ad extraordinariam vero pœnam infligendam etiam in cauſſis non ita obſcuris, ſed clarioribus, i.e. vbi euidens veritas haberi poteſt, neutiquam vltra primum gradum procedi poteſt, ne medium eruendi veritatem durius ſit ipſa pœna. De gradu torturæ intu ſurdi & m

§. XV. Antequam vero ad ſententiam ferendam accedamus, pauca quædam de ſignis ipſis & qua ratione non ſemper fides ipſis habenda monuiſſe iuvabit, duplex enim editio ſignorum in hiſce inquiſitionibus requiritur, alia interrogantis, alia reſpondentis, De ſignis & geſtibus in

tis, quoad vtramque communiter dubia remanent, an ſurdus quærentem, an hic illum rite perceperit. In iure noſtro & quidem *l. diſcretis 10. Cod. qui teſt. fac. poſſunt* experimentum phyſicum profertur in medium, vt ſupra cerebrum ſurdi interrogans loquatur, ſed ſermo ibi eſt de morbo diſcreto, ſi quis ſurdus ſit, non vero mutus ſimul, nihilominus alii experimento & iudicio medicorum reliquimus, an non aperto ore ſurdorum vox quædam ad organa auditui attemperata penetrare poſſit, meminit enim dominus Præſes, quod Cliviæ ſurdum viderit muſicum, qui tonum inuenire & corrigere potuit inſtrumento dentibus admoto, quamvis alias nec clamorem perceperit, veroſimile enim eſt quandoque organa iſta in parte exteriori tantum læſa eſſe, manentibus interioribus, & hoc quidem quoad ſurdos & mutos, qui ſimul ſanæ mentis ſunt, tanto magis probabile videtur, quia natura tales vt plurimum mente capti ſimul eſſe ſolent, ſi vero in tenerrima ætate vocem & auditum amiſerint, rarius vltra partes exteriores læſionem contigiſſe, iudicandum, quamuis quoad caſum ſuperius §. 4. & ſeq. oſtenſum, aliud dicendum videatur ob herbam vel radicem cicutæ, de cuius natura & indole in ſequentibus adhuc aliquid monendum veniet.

De dubiis circa hæc ſigna.

§. XVI. Proinde deſiderandum eſt, quoad inquiſitiones huius generis, quod non ſemper ipſa ſigna & geſtus actis inſerantur, ſed tantummodo interpretum expoſitiones & explicationes, cum tamen ſæpius contrarium quid & explicationi interpretum non adeo conueniens ex ipſis ſignis demonſtrari poſſet, ita in inquiſitione contra ſurdum & mutum apud *Keyſerum in prax. crim. p. 913.* ſigna quidem annotata, ſed quod nobis

bis videtur, varia vt & ſuſpecta ac incerta interpretatione v. gr. ad quæſtionem primam 1. ob er geſtändig, daß er Matthes Fleiſchers Sohn Hanſen entleibet? ad 1. bey dem erſten Punct ſchüttelt er den Kopf ſehr in die Höhe, wies mit der rechten auf die lincke Hand, als man Geld zu zahlen pfleget, grif auf den Kopf, als wann er geſchlagen worden wäre, brauchte das Wort peitſch (& tamen eſt mutus) und wieß an den Hut, als wenn ihm derſelbe vollgegeben werden ſollen, hätte aber nichts bekommen, ſtellete ſich, daß ihm die That leid ſey.

Wird von den Anweſenden gedeutet, daß der alte Fleiſcher ihm Geld zu zahlen ſchuldig geweſen (ſed hoc antea iam cognitum erat, ergo multa ſæpe ſupponuntur) aber nichts gegeben, und ob hätte der Bruder Veit es geheiſſen, daß er ins Gut ziehen ſolte (ſed hoc iterum ſupponitur) müſte darinnen unterhalten und gekleidet werden (ſed vnde hoc?) gebe auch vor, daß beydes Hanß und der Entleibte, und der junge Matthes Fleiſcher ihn zuvor geſchlagen, daß er ſich wehren müſſen, hat aber kein Zeichen gehabt, und iſt im geringſten an ihm nichts zu ſehen geweſen, daß er einen einzigen Schlag gehabt, geſtünde die That und wäre ihm leid.

